

fortissimus, cum á civibus in ea teneretur inclusus, portas absportans supra montis verticem tulit, quam Iohannes Hyrcanus Simonis filius Machabei munivit, et contra bellorum impetus sibi constituit in asylum. Ad quam cum tenderet Philippus unus ex septem diaconibus apostolorum, ipsa via pergentem et legentem in Ysaia propheta, regenerationis lavacro candidavit Ethiopem eunucum. Ascalon autem hec est illa, de qua David sicut petebatur, ut Saúlis filiam habere mereretur uxorem, ducentos viros perculit et eorum prepucia tulit, et attulit ad Saúlem. De hiis legitur in prophetis¹: 'Gaza destructa erit, et Ascalon in desertum, et nolite annunciare in Geht, neque in compitis Ascalonis, et disperdam habitatorem de Azoto, et tenentem sceptrum de Ascalone, et Acharon eradicabitur².

Ita nunc usque fortuna nobiscum ambulat, eadem rerum facies perseverat; quociens ad interiores hostes cum armis vadimus, vallum nostrum exteriores invadunt; quociens ad istos foras egredimur expugnandos, illi deintus nos impugnant. Nos pugnamus fugando lanceis et gladiis, illi fugiendo pugnant missilibus et sagittis. Incepti negotii sic incertus erat eventus; regis Francie diu desideratus expectabatur adventus, defuncti filius imperatoris Frederici respectu suorum, qui laborum per tesi domos redierant, seu perierant in bellis vel per infirmitatem inbelles, vix paucis ad nos evaserat comitatus. Inter hec ego gravi langore correptus, cum timerem non mortem, sed quod morte preventus contritum iugum gentilium á cervice fidelium, et que factura erat in proximo Dominus bona Ierusalem, non viderem, articulo tremente scriptoris accepi calammum, et super me planctum huiusce lamentacionis incepti.

Te ne, diu spectata dies, cum leta veniret,

Invidit fortuna michi, ne capta viderem

Castra maligna fide crucis, ecclesieque triumphum?

Heu heu quid tanto michi profuit arta labore

5 Tot loca, tot populos, iuga, valles, flumina, silvas,

Tot terras pedibus peragraré, tot equora remis,

Optatumque diu Sirie contingere portum,

Qui Cristi natale solum, male depopulatum,

Dilectamque Deo patriam patribusque beatis,

10 Imperio dominante gravi servile gementem

Pondus et hostiles late insanire catervas,

1) Sophon. II, 4 und Amos. I, 8. 2) Das folgende Stück ist von Albrich buchstäblich aufgenommen, SS. XXIII, 865, und muss deshalb hier fortgelassen werden, bis 'urbium trium'. Dann folgt hier: 'A terra civitatem et Sirie partibus angebat obsidio militaris, latus vero maritimum et portus opprimebatur obsidione navali'. Und wieder gleichlautend: 'Erat autem — montibus illis'. Von da an ist die Uebereinstimmung nicht mehr wörtlich.